



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

6 Quot modis contrahatur hypotheca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

Si mercator
sciat enim
perisse.

cupit assicurari, certò sciat eam perisse, non posse pacisci de eius assicuracione: nec perere eius aestimationem sibi restitui. Ratio est, quia obligatio, quam petit, est ad id, quod ipse nouit esse impossibile; impossibile enim est praestare periculum rei, ubi iam res perit. praestatio enim periculi & assicuratio, supponit rem adhuc esse in periculo, vel certè esse posse: at si scitur perisse, scitur non posse in periculo esse; ac proinde scitur non posse assicurari. Deinde quia dolus dat causam contractui: decipit enim assicuratorem, quia dum rem, quam nouit perisse, petit assicurari, indicat eam non perisse, vel certè se putare nondum perisse. Itaque si assicurator soluit aestimationem rei quae perit, tenetur mercator ipsi eam restituere; & praeterea tenetur sarcire damna, si aliqua ex eo contracti sunt secuta, assicurator autem tenetur ei refundere pretium acceptum; quia contractus fuit nullus. Si tamen non erat omnino certum rem perisse, videtur mercator aliquid posse exigere ab assicuratore,

16

vt notat Molina disput. 507. quia soluendo pretium, exponit se alicui periculo amittendi illius pretij absque incommodo assicuratoris. si enim forte non perierit, assicurator absque vilo damno retinebit pretium: ergo si perierit, poterit ab illo aliquid repetere supra pretium: quia si assicurator potest lucrari, aequitas postulat vt etiam possit perdere: at non possit perdere, nisi aliquid amplius, quam sit pretium acceptum, possit ab eo repeti. Tantum ergo poterit tunc repetere, quantum ipse oblaturus fuisset; si rei veritatem intellexisset, vel certè quantum prudens aestimabit in tali casu, spectatis omnibus circumstantiis, debuisset offerri.

27

Si sciat non fore periculum.

Aduerte tamen, si ordinariè multum detur pro assicuracione, (v.g. tria in centum) ob magna pericula, quae plerumque vel à tempestate, vel à piratis impendent, quamuis ego praesciam ex Astrologia vel aliunde, non fore tempestatem; aut ex literis à amici, non fore piratas, aut fore securum comitatum, possum nihilominus pretium ordinarium assicuracionis accipere. quia illa obligatio passim tanti aestimatur, cò quòd pericula ordinariè occurrentia, sint magna. occultae enim illae causae mihi dumtaxat notae, quae periculum minuant, non minuant communem aestimationem; quia sunt ignotae. sicut merces possunt vendi pretio, quo passim à peritis aestimantur, etiam si ea aestimatio pendeat ex raritate, quae exterius appareret, & tamen in re non est; cum sint adhuc multae merces occultae vel propinquae. Ita etiam obligatio ista potest vendi pretio, quo communiter aestimatur à peritis, etiam si ea aestimatio pendeat ex opinione communi periculorum, quae hic & nunc scis esse impedienda.

28

Quid si nulla sub sine mercibus.

Petes Primò, Quidam nullas habens merces in nauis, sed fingens se habere, easque valere decem millibus aureorum, petit illas sibi assicurari Antuerpià Hispalim, datis quingentis aureis: Vtrum tunc si nauis pereat, teneatur assicurator soluere 10000?

Respondeo breuiter, si assicurator sciebat vel suspicabatur nullas esse merces, vel non tanti valoris, tenetur soluere: quia censetur esse contractus sponsonis, vt rectè docet Sotus lib. 6. qu. 7. artic. 1. nempe, vt si nauis salua venerit, lucretur 500. si perierit, amittat 10000. Si autem bona

fide putabat esse merces, vel esse tanti pretij, tunc est distinguendum. vel enim cum ea dispositione animi fecit contractum, vt etiam si sciuisset nihil esse, nihilominus voluisset contrahere; & hoc euentu tenetur soluere: quia tacita mens erat, etiam in eo euentu se obligare, & lucro damnoque exponere. Si autem ita erat affectus, vt si sciuisset, noluisse contrahere, ob metum fraudis, vel aliam causam; non tenetur soluere. sed etiam tenebitur (quamprimùm sciuerit illam fictionem) pretium restituere; quia non consentit in contractum. Verùm ordinariè qui assicurant, parum curant an merces tanti valeant; sed solum curant aestimationem: haec autem aestimatio mercibus illis, si quae sint, secundum proportionem applicari debet. vnde si tota mercium quantitas pereat, tota aestimatio soluenda est, etsi merces illae longè supra iustum aestimatæ fuerint. Si media pars earum pereat, media pars illius aestimationis est soluenda: si tertia, tertia; & sic deinceps.

29

Aestimatio
vt mercibus
applica-
anda sit.

Petes Secundò, Quid si plures sint assicuratores, quorum singuli solum pro parte aliqua spondeant, & dimidium mercium pereat?

Respondeo, Si partes singulorum designatae fuerint, illi tantum tenentur, quorum partes pereunt: si autem non fuerint designatae, tunc omnes tenentur contribuere pro rata ad partem quae perit. v.g. merces aestimentur 8000. aureorum, & quatuor sint assicuratores, quorum singuli quartam partem (nempe aestimationem 2000.) assureunt: si dimidium perierit, singuli tenentur conferre 1000. aureos: si quarta pars, 500. & sic deinceps.

30

DVBITATIO V.

Quid sit pignus & hypotheca.

Notandum est, Pignus proprie dici rem, quae traditur creditori. Hypothecam vero, quae sine traditione, nuda conuentione continetur, vt habetur Institut. de actionibus. §. Item Seruiana. dicitur enim pignus à pugno, quod manu tradatur, Graecè *πίναξ*. vnde pignus proprie est rei mobilis, hypotheca rei immobilis haec tamen distinctio non seruatur, nam haec nomina passim in iure idem valent; vt patet Institut. supra.

31

Vsurpantur tamen tripliciter. Primò, Pro re ipsa: & sic pignus seu hypotheca dicitur res aliqua mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis, de qua inter debitorem & creditorem conuenit vt sit pro debito obligata, ita vt si debitor non soluent, possit creditor ex ea solutionem petere. Secundò, Pro contractu, seu conuentione illa, qua pignus constituitur. Tertiò, Pro obligatione, quae ex contractu in re nascitur. Simili modo mutuum, commodatum, depositum usurpantur pro re ipsa, pro contractu, & pro obligatione ex contractu orta.

32

Vsurpantur
trifariam.

DVBITATIO VI.

Quot modis contrahatur hypotheca.

Respondeo & Dico Primò, Generatim dupliciter contrahi. Primò, *Expresse*. Secundò, *Tacite*. *Expresse* autem contrahitur dupliciter.

33

Gg 4

Primò,

Primò, Conuentione partium; hæc vocatur *hypotheca conuentionalis*. ad hanc solum opus est partium consensu, nec requiritur præsentia rei, aut traditio, vt patet L. 1. 7. de pignore. de hac vide multa apud Negufantium in tract. de pign. part. 3. membro 1.

Secundò, Decreto Iudicis; hæc vocatur *pignus pratorium*. ad hoc autem requiritur, vt quis mittatur in possessionem, seu detentionem rei auctoritate Iudicis vel Magistratus; vt patet L. Non est mirum. 26. 7. de pignorat. act. Quidam distinguunt pignus iudiciale à pratorio; sed non esse opus hac distinctione, colligitur ex L. 1. & 2. C. de pratorio pignore, vbi omne pignus auctoritate Iudicis constitutum, vocatur pratorium, siue ante sententiam definitiuam, siue post eam sit constitutum. Idem colligitur ex d. L. Non est mirum, supra: de hoc Negufantius part. 3. membro 2.

34 Dico Secundò, *Tacite* contrahitur, quando legis dispositione constituta est. id autem iure communi fit multis casibus, quos enumerat Siluester v. Pignus, q. 2. & Molina disp. 526. & fusillimè Antonius Negufantius parte 2. memb. 4. ex quo hæc maxime decerpta.

Primò, Qui ratione contractus, vel tributi nomine aliquid debet fisco, seu Principi, eius bona omnia sunt tacite illi hypothecata. Negufantius num. 113. Excipitur minor, qui si à fisco aliquid emerit, sola res empta manet hypothecata pro pretio. quando autem ratione criminis bona ipso facto sunt confiscata, non censentur hypothecata, sed debita fisco, si postea feratur sententia: de quo vide Negufantium num. 115.

35 Secundò, Bona omnia mariti sunt hypothecata vxori pro dote. Idem dicendum de bonis fideiussorum, si aliqui pro dote restituenda fideiussores à marito sunt dati. hæc hypotheca, & fisci, habent priuilegium prælationis, vt aliis tacitis hypothecis tempore prioribus simili priuilegio non instructis præferantur: non tamen expressis prioribus; vt dictum est cap. 15. dubit. 4. Negufantius num. 108.

Tertio, Qui dorem promisit, eius bona manent hypothecata donec soluerit.

Quartò, Bona tutoris & curatoris sunt hypothecata minori pro administratione. Negufantius num. 6.

Quintò, Bona Prælati & administratoris Ecclesie, pro administratione: quia Ecclesia fruitur priuilegio minoris & pupilli. Negufantius numero 120.

Sextò, Bona eorum, qui administrant res ciuitatum, pro administratione: quia ciuitas fruitur priuilegio pupilli. Neguf. num. 119.

Sepumò, Bona patris administrantis aduentitia filij, sunt tacite hypothecata filio pro administratione, num. 13.

Octauò, Omnia bona defuncti sunt hypothecata pro legatis. Idem num. 157.

Nonò, Si vxori aliquid à marito, vel intuitu mariti donatum est, mortuo marito, id pertinet ad liberos communes: quòd si mulier illa transeat ad secundas nuptias, omnia eius bona quæ à tempore donationis accesserunt, manent liberis prioribus oppignerata pro illa re. Idem dicendum, si marito aliquid donatum sit ab vxore, vel vxoris intuitu. Idem num. 20. & 22.

Decimò, Emptum pecuniâ pupilli, manet ei hypothecatum pro pretio; idque cum priuilegio prælationis ante omnes alios habentes in ea re hypothecam. Idem dicendum de empto pecuniâ militis. num. 163. 164.

Vndecimò, Fructus rei conductæ sunt hypothecati domino fundi pro pensione, num. 110.

Duodecimò, Inuecta in prædium conductum sunt obligata domino prædij pro pensione soluenda, & pro damnitate rei conductæ illatis; siue prædium sit vrbatum, siue rusticum. si tamen prædium rusticum sit, debent esse illata domino sciente, si enim ipso ignorante illata sint, non sunt ipsi obligata. num. 128. & sequent.

Decimotertio, Edificium, ad quod restituendum vel reparandum pecunia mutuò data est, manet hypothecatum pro illa pecunia cum iure prælationis ante alias hypothecas etiam expressas & priores, in eodem edificio constitutas. excipe tamen hypothecam vxoris pro dote; quæ si prior fuerit, præferitur. num. 162.

Decimoquarto, Nauis, ad quam extruendam, emendam, ornandam, vel rebus necessariis instruendam, pecunia est mutuata, manet obligata pro ea pecunia, sicut de edificio dictum est. num. 162.

Decimoquinto, Omnis res, ad cuius conseruationem pecunia mutuò data est, manet obligata pro ea pecunia, idque præ aliis habentibus in ea priorem hypothecam. vt si quis dedit pro reficienda nauis vel edificio, vel pro nautis necessariis ad illam saluandam. Item si soluit pretium vecturæ mercium; si mercedem comitatu eas deducendi, &c. vide plura apud Molinam disp. 438. & 536. & Antonium Negufantium tractatu de pignore. Quædam tamen ex his non sunt vbique recepta, & in diuersis prouincijs sunt diuersæ leges & consuetudines: nam in quibusdam locis, ex omni contractu venditionis, omnia bona contrahentium manent in perpetuum obligata iure specialis hypothecæ, ita vt nulla præscriptio possit hæc obligatio tolli; quæ consuetudo est valde exorbitans à iure communi.

Dico Tertio, Vtraque hypotheca, id est, *tacita* & *expressa*, est duplex; alia enim est vniuersalis, alia particularis. *Vniuersalis* est in qua omnia bona obligantur; quod intellige non solum de præsentibus, sed de futuris, quæ pro tempore habuerit; vt patet L. fin. C. Quæ res pign. obligari possint. hæc tamen non impedit quin res possit liberè vendi; quia in locum eius succedit pretium. *Particularis* est, quando res certa obligatur. hæc semper afficit rem, ad quemcumque perueniat, donec debitum fuerit solutum, vel obligatio condonata, vel præscriptio extincta.

DUBITATIO VII.

Quæ possint vel non possint esse pignori.

39 **R**espondeo & Dico Primò, Ea non posse esse pignori, quæ non possunt vendi; vt Ecclesia, cæmeterium, sepulchrum, L. 1. §. vltimo, 7. Quæ res pign. vel hypoth. Ius etiam patronatus non potest oppignerari. cap. Bartoldus, de sententia & re iudicata. Ratio est, quia non est res, per quam debitum pecuniarium possit compensari. vnde etiam si caltrum, aut villa, cui hoc ius est an-